Deo opt. max. uni & trino, Virgini Deiparæ, & ſancto Lucæ orthodoxorum Medicorum Patrono:

1380

QUÆSTIO MEDICA.

Quodlibetariis Diſputationibus manè diſcutienda in Scholis Medicorum Iovis 18. Ianuarii 1685.

M. JOANNE DAVAL, Doctore Medico, Præſide.

An Facultas coctrix in vigilia vegetior.

NIHIL æternum in concretis rebus; quæque ſubit mutationis vices. Quæ in unum cogit natura, eadem diſſolvit: in hoc mixtorum interitus, in illo ortus poſitus eſt. Mixtum quodlibet, ſolidum vel liquidum. Solidum quiete, liquidum motu ſervatur: utrumque natura miro artificio in animantibus, & in humano corpore maritavit; liquida concluſa ſolidis perenni volvuntur motu, iiſque exactâ proportione reſpondent: ab his humani corporis ſtructura, ab illis ejuſdem functiones. Liquida ſolidis quaſi carcere coërcita, quantum poſſunt, aufugiunt atque avolant, horumque particulas ſede dimovent, & ſecum abripiunt, quæ niſi ſimilibus inſtaurarentur, tota compages citò corrueret: ejuſce inſtaurationis cauſam, alimentum credas; in cujus ſinu ſemina quædam unicuique corporis parti affinia continentur: occulta jacent, nulliuſque ſunt uſus, niſi evoluantur, & à ſupervacaneis partibus liberentur. Id operis in buccâ moliuntur dentes, lingua, ſaliva, in ventriculo calor, ſpiritus, ſucci digeſtivi acidiori humoris melancolici portioni non diſſimiles, & ipſiuſmet ventriculi actio: in aliis partibus eademferè ac in ventriculo reperiuntur; ſi quid diſcriminis, illud præſertim à peculiari earum conformatione, quâ non tantum fit utilium particularum evolutio, ſed & inutilium excretio: id coctionis nomine inſignitur, cujus, quæ allata ſunt, proximæ, non principes, cauſæ cenſeantur; extat nobilior, à quâ vel aguntur vel reguntur: non eſt ipſa ſeparabilis ab animâ, nec immeritò Facultas coctrix nuncupatur. Dum illæ utilis adeò functionis cauſæ, calor ſcilicet, ſpiritus, ſucci digeſtivi, partiumque organicarum coctionibus inſervientium actiones vegetiores ſunt; hæc quoque vegetior reputetur.

NIHIL coagmentatum in animâ, nihil extenſum: nulla inter ipſam & corpus videtur proportio; utriuſque naturam expendens ea nuſquam in ſe invicem agere diceres: illorum conſociationis lex te ab ejuſcemodi ſententiâ revocet. Ipſa te doceat experientia plurimas in corpore perfici functiones non aliunde, quam ab animâ repetendas; hac ſiquidem volente, prehendunt manus, incedunt pedes, pulmo linguaque loquuntur, &c. Hæc ne animæ nutu & arbitrio: niſi in ipsâ, ea efficiendi ineſſet virtus; maxima alioquin corpori conceſſa cognitio, nec minor ſanè erga animam ipſi veneratio, quibus illius juſſa & ritè caperet & libenter exequeretur! ne dixeris cum ſeculi philoſopho ſupremum rerum omnium artificem decreviſſe, variâ ſe ratione, pro variis animæ cogitationibus ac voluntate humanum corpus eſſe moturum; finita enim mens infinitæ arcana perſcrutari nequit. Quod ſi ejuſcemodi actiones, quas attendit, quaſque jubet anima, ab ipsâ proficiſcantur; cur non pariter illæ, quas nec attendit, nec jubet? an attentio & voluntas animæ naturam immutant? an quamdam illi cum corpore proportionem largiuntur? an ſuperficies, quibus corpus poſſit tangere & impellere? Adeò verum eſt actiones, quas non attendit, ab ipsâ etiam procedere, ut, prout variè afficitur, variè peragantur: in gaudio videlicet, cor dilatatur, in omne corpus confeſtim diffunditur ſanguis, rubet facies, micant oculi, ciborum viget appetitus, &c. Contrà in mœrore, ſtringuntur cordis oſtia, ſanguis lento incedit gradu, palleſcit vultus, flacceſcunt oculi, vix appetuntur vix ſubiguntur cibi, ſupprimuntur excretiones, omnes tandem corporis functiones aut depravantur, aut hebeſcunt. Modum quo eas perficit anima, ne inquiras: latet in profundo. In hoc Dei immenſum miremur Numen, quo ſui imaginem Microcoſmi actionum cauſam eſſe voluit, ut ipſe eſt Megalocoſmi productionum & mutationum effector: quemadmodum enim immotus, ignotâ nobis ratione, dat cuncta moveri; ſic quoque motus expers anima ſuum commovet corpus. Hujus varium eſt motionum ſeu functionum genus, quod varias in animâ vires exigit; harum tamen diverſitas à diverſis, quibus inſidet organis potiſſimùm pendet: non equidem idem poteſt animus in ventriculo ac in cerebro, & vice versâ. Adverte, ejus poteſtatem in corpus certis limitibus definiri; ut enim tenuior puriorque ignis certos habet motus caloriſque gradus, quibus nonnulla duntaxat mixta agitare & ſolvere potis eſt; pari quaſi ratione ſunt in animo præſcripti virium gradus, quibus ſolidas liquidaſque corporis partes ciere regereque poſſit; ita ut eas facile, omnibus muniis perbelle functurus, commoveat, ſi craſſitudine convenientem modum non excedant; ſin minus, nullam ipſius facultatem eſſe ſuperſtitem, aut ſaltem pondere oppreſſam crederes: hinc mens in iuvenibus micat, in ſenibus torpet: hinc in variis affectibus, ut in apoplexiâ, dyſpepſiâ, &c. quæ ſunt craſſiorum ſuccorum fœtus, univerſæ illius vires inertes ſopitæque latent. Si ergo functiones, motuſvè liquidarum ac ſolidarum corporis partium ab animâ: maximo ſit argumento eò vegetiorem eſſe coctricem illius facultatem quo vividiores ſpiritus, calor, ſucci digeſtivi, partiumque organicarum coctionibus inſervientium actiones.

NULLÆ in nobis functiones, ſanguinem ſi tollas; eas producturus ipſe è corde in omne corpus exploditur. Craſſior, mole & inertiâ gravis, per aortam deſcendentem propè cor reflexam deorſum fertur. Tenuior, vividiorque rectæ lineæ amantiſſimus ſursùm, per arteriam rectâ aſcendentem. Hic cerebri ſuperficiem alluens in glandulis, quæ ſubſtantiam illius cineream formant, ſucco ſalis Ammoniaci ſimillimo rurſus comminuitur; ut ejus particulæ quaſi æthereamnaturam nactæ vicinos cerebri tubulos ſubire queant. Hæ ſi copiâ penitiores cerebri ineant, redeantque vias, diverſis earum impreſſionibus, variis in anima cogitationes excitaturæ, modificantur; quod ſi ulterius, in nervos ſcilicet per totum corpus expanſos, diffundantur; eos, vel per ſe, ac ſuâ ſponte commovent, vel habiles reddunt, ut externo impulſu moueantur, & acceptam impreſſionem ad cerebrum, ibi ab animâ percipiendam transferant. Hæc omnia dum peraguntur, liberum putes functionum animalium exercitium; ſecus ſentias, ſi tenuiorum harumce particularum penuriâ concidat cerebrum, laxenturque nervi: In hoc enim ſomnus, in illo vigilia poſita eſt, in quâ calorem, ſpiritus ſuccos digeſtivos, & partium organicarum coctionibus inſervientium actiones longè vegetiores agnoſcas.

CALOREM à peculiari, non ab omni, motu repetas. Non ſola quies frigoris cauſa: multa moventur, quæ frigida ſunt. Caloris ſubjectum, ſpiritus: hi inter ſe naturâ ſuâ pares, tamen varii: diſcriminis ratio à particularum heterogenearum permixtione: illi equidem in corpore nuſquam ſinceri; etiam in ipſo cerebro, ubi puriores, habent ſemper aliquid admixtum: multa ejus delicatulæ ſubſtantiæ rumpunt aditus. Succi digeſtivi ſolidioris, craſſioriſque naturæ ſunt; ex ſe inertes & ad motum minus idonei, penetrantes tamen admodum, & maximi uſus, ſi ab externâ cauſâ concitentur: Partium organicarum actiones non abſque fibrarum, quibus contexuntur, auxilio abſolvi putes. Fibrarum vis à ſpiritibus, forſitan ab arterioſo ſanguine: ſi enim arteria prematur conſtringaturvè, perit motus partis, in quam diſpergitur, pariter ſi nervus. Utrùm hæc omnia aut in vigiliâ, aut in ſomno vigeant, facile innoteſcet ei, qui ſuperius recenſitam utriuſque cauſam meminerit. Hic ſanè imbecilli caloris, illa fortioris, hic ſegniorum humorum, illa vividiorum ſoboles. In ſomno enim, quæ minor fit triplicis ſubſtantiæ diſſipatio, excrementorum ſuppreſſio, ſenſuum quies, omnium ferè motionum ceſſatio, illi tandem ſuccedens cibi faſtidium, obtuſum profectò calorem, maximamque liquidarum, ut ſolidarum, corporis partium inertiam arguunt. In vigiliâ verò, cur mentis vigor? cur omnis motus facilitas? cur libera excrementorum egeſtio? cur denique vigilia vorax eſſet? niſi in eâ calor, ſpiritus, liquores digeſtivi, partiumque organicarum coctionibus inſervientium actiones, eſſent multò vegetiores.

SOMNUS coctionum hoſtis cenſeatur. Qui ſecùs ſentit, erroris ſui vel pertinaciæ pœnam luat, haud enim ſe, nondum ſubactis alimentis, tradat ſomno; quin ab ipſo excitatus ſtatim ſe ſe malè habeat; infenſam in ventriculo gravitatem ferat; ſordidos ructus turpiter emittat; diris vexetur flatibus, qui in inteſtinis præſertim & in ventriculo ſuas agant tragœdias; craſſis halitibus tumeant corporis partes; ingrato ſapore caſtigetur guſtus; cerebro humidis recrementis impleto, mens torpeat: Catharri, gravativus capitis dolor, etiamnum ſopor ipſe ſint præjudicatæ opinionis argumenta. Sis alterius malis cautus: ne comedas: niſi vigilare poſſis; donec ſaltem majori ex parte coctus ſit aſſumptus cibus. Da manus experientiæ rationi conjunctæ; ne inſtitutis & prejudicio teneâris. Utilem adeo coquendi facultatem recrementorum, quæ per ſomnum gignuntur, pondere ſopitam credas. Nec minùs langueant ea omnia, quibus ad peragendas coctiones, tanquam inſtrumentis utitur; ſive quòd ab ipsâ imbecilliore concitari nequeant; ſivè quod jam concitata iiſdem recrementis pariter obtundantur: non ſecus ac ſpiritus nitri, qui uberioris aquæ admixtione hebeſcit, vimque illam deperdit, quâ mineralia metallaque plurima ſolvere poterat. Expende contrariorum leges, & certo tibi conſtabit omnia in nobis per vigiliam maximis pollere viribus.

Ergo facultas coctrix in vigilia vegetior.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Paulus Mattot.	*M. Petrus Lombard.*	*M. Carolus Marteau.*
M. Carolus le Long.	*M. Philippus Mathon.*	*M. Jacobus Renaut.*
M. Ludovicus Morin.	*M. Raymundus Finot.*	*M. Franciſcus Pijart.*

Aſſerebat Pariſiis ANTONIUS VARIN Pariſinus, Baccalaureus Medicus. A. R. S. H. 1685.